



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Qvæstio I. Existentia & quidditas meriti bonorum operum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

Sancti, & Myſterium Trinitatis, non dicitur quod cognoscent certò, ſe illum habituros inhabitantem, niſi certitudine quadam morali, de qua etiam loquitur S. Ioannes 1. illa epiſt. *In hoc cognoscimus quia in illo manemus, &c.* Vel certè in vtroque loco habetur generalis promiſſio facta Eccleſiæ.

Ad ſecundam patet ex dictis locum illum Eccleſiaſtæ intelligendum non eſſe de peccatoribus, ſed de iuſtis tantum.

Ad tertiam Reſpondeo poſſe quidem nos eſſe certos quod eliciamus actum aliquem fidei aut amoris, ſed neminem ſcire certò poſſe quod eliciat actum Theologicum fidei & charitatis id eſt ſupernaturalem, vt ex ſequenti tractatu patebit.



DISPUTATIO IV.

De altero effectu Gratia Christi id est de merito actuum nostrorum.



Dixi quomodo per gratiam Chriſti, homo ſanctificetur & iuſtificetur, nunc videndum eſt quomodo per eam glorificetur & coronetur: *Quos enim vocauit hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit illos & glorificauit*, quia gratia quos vocando efficit ſanctos ſanctificatos euehit ad coronam. De hoc ergo mirabili effectu diuinæ gratiæ, per quam efficitur homo dignus præmio æterno, & gloriatur in ſpe gloriæ filiorum Dei tria mihi video neceſſaria. Primum ſit, exiſtentia & quidditas meriti. Secundum ſit, ſubiectum meriti. Tertium ſit, obiectum meriti. Primum oſtendit quod actus noſtri verè ſunt meritorij & quid ſit mereri. Secundum declarat quinam actus ſint meritorij. Tertium cuius mercedis ſint meritorij.

QVÆSTIO I.

Exiſtentia & quidditas meriti operum bonorum.

S. Thomas, quæſt. 114.

Meritum
quid ſit.

Meritum vniuerſè appellatur valor operis, propter quem debetur ei alicuius præmij retributio, breuius dixerim eſt dignitas præmij: *Ambulant mecum in albis, quia digni ſunt.* Primum igitur quod in hac tota materia video eſſe maxime neceſſarium eſt firmiſſima perſuaſio gloriæ quam meremur per ſingulos actus bonos, quia illud videtur eſſe primum caput ſcientiæ ſanctorum quos deducit Deus per vias rectas, vt primum omnium videant regnum Dei, quod merentur rectè operando. Proponenda itaque primo loco eſt & probanda veritas Catholica circa exiſtentiam huius valoris. Secundò quid ille ſit & quotuplex.

SECTIO I.

Veritas Catholica circa exiſtentiam meriti: id eſt verum opera hominis iuſti verè ſint meritoria præmij æterni.

S. Thomas, articl. 1. & 3.

Certum eſt primò, hæreticos huius temporis omnium inimicos bonorum operum, & meriti eo-

rum hoſtes inſenſiſſimos erraſſe tripliciter circa exiſtentiam meriti.

Primò enim volunt neminem iuſtum vlla vquam bona opera facere, ſed quidquid viri faciunt etiam ſanctiſſimi, quantumvis bonum videatur ac laudabile, vitiatum tamen eſſe ac inquinatum, imò peccatum grauiffimum: ſic enim expreſſè tradit Caluius l. 3. *inſtitutionum* c. 12. §. 4. & c. 14. §. 9.

Secundò neminem teneri bona vlla opera facere, vel etiam vllam ſeruare legem, Apoſtolo proficiente *Quod iuſto non eſt lex poſita.*

Tertiò, negant vlla iuſtorum opera eſſe digna præmio apud Deum, ſed tantum pœna, ſic enim habet Caluius in *Antidoto Concilij Tridentini ſeſſ. 6. cap. 2.* Poſteriores autem hæretici vmbra aliquam meriti admittunt, quia quamvis omnino negent opera noſtra mereri gloriam æternam, tamen fatentur quod ex liberalitate maxima Deus retribuit illis præmium aliquod temporale.

Certum eſt ſecundò, Catholicam doctrinam de operibus meritorijs triplici capite contineri vt explicatur in Concilio Tridentino ſeſſ. ſexta capite decimo ſexto.

Primum eſt poſſe homines iuſtos cum Dei gratia plures elicere actus verè bonos & laudabiles, *Arbor enim bona bonos fructus facit.*

Secundum eſt teneri homines etiam iuſtos elicere multa huiusmodi bona opera ſine quibus ſalutem non ſunt conſequuturi, *Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.*

Tertium eſt homines iuſtos per huiusmodi bona opera verè ac propriè mereri vitam æternam, & alia plura dona ſpiritualia: adeò vt propter illos actus debeatur illis gloria vt ſtipendium & vt corona. Duo illa prima capita ſæpè ſuperiùs probata ſunt, de tertio propriè hic agendum eſt.

Ratio ergo dubitandi primò eſt, quia in ſcripturis vita æterna dicitur eſſe gratia. Romanorum 6. *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna: ſi autem gratia iam non ex operibus aliqui gratia iam non eſt gratia*, vt habetur ibidem cap. 11. Dicitur etiam quod coronamur ex miſericordia, *Pſalm. 102. Qui coronat te in miſericordia*, dicitur hæreditas primæ Petri 3. *In hoc vocati eſtis vt benedictionem hæreditate poſſideatis*, hæreditas autem filijs non datur vt merces, quæ debetur famulis potius, & mercede conductis. Dicimur eſſe ſerui inutiles etiam poſtquam fecerimus omnia quæ præcepta ſunt nobis, dicuntur non eſſe condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam: vocamur ad conuiuium ſponſi Chriſti ſine pretio, *Emite absque argento, & absque vlla commutatione mel & lac.* Denique dicitur neminem conſidere poſſe in propriis meritis ſed in Deo ſolo, & in Chriſto Ieſu in quo ſolo eſt nobis ſalus, vel enim merita mortis eius ſunt ſufficientia vel non ſunt, ſi ſufficienti ad ditandos fideles omnes filios Crucis, vt quid? iterum iubemur emere, quod iam noſtrum eſt, ſi non ſufficienti, *Vana ergo eſt fides noſtra vana predicatio noſtra.*

Secundò, conſentire videntur Patres verbi gratia inculcat Auguſtinus ſæpiſſimè quod Deus non coronat merita noſtra, ſed dona ſua: Et Hilarius in *Pſalmum 51.* Serio proſiteretur inſufficientia eſſe opera noſtra, niſi miſericordia Dei etiam in hac iuſtitia voluntate ſuarum demutationum & morum vitia non reputet.

Tertiò, vbi eſt meritum condignum ibi debet eſſe iuſtitia rigorosa proprium debitum, & deinde aliqua æqualitas operis & præmij, neutrum autem in noſtris actibus reperitur, ergo illi non debent dici eſſe meritorij æternæ gloriæ.

Dicendum

De Merito ut est effectus Gratiae Christi. 507

Afferio prima. Dicendum tamen est primò, certum omnino cui libet Christiano esse debere quod iustus per actus bonos verè ac propriè meretur præmium æternum, quod etiam certissimè accepturus est. Ita constantissimè censet & semper censuit Ecclesia Christi ut definiatur in Tridentino sess. 6. cap. 16. & can. 26. & 32. probant autem hanc veritatem Catholicam & Christianorum spem certissimam optimis argumentis Bellarminus lib. 5. de iustificatione, Toletanus in Apologia pro Concilio Tridentino: Lindanus lib. 3. Panoplie Valsques disp. 203. Suarez l. 1. c. 1. & sequentibus.

Probatum primò ex scripturis. Primò enim scripturæ ab initio vsque ad finem prædicant mercedem bonorum operum ut rectè notat Basiliius in Psalm. 1. v. gr. Ecclesiastici 16. *Unicuique misericordia faciet locum, secundum meritum operum suorum*, ubi vides ex misericordia dari gloriam ad bona opera, ex iustitia verò dari gloriam propter illa. Sapient. 5. *Apud Dominum est merces eorum*, loquitur de iustis qui per labores & Angustias transferunt ad quietem & regnum, quod etiam possident titulo mercedis. Christus in Evangelio idem semper proponit Matthæi 5. *Merces vestra copiosa est in celo*, cap. 20. *Voca operarios & redde illis mercedem*: cap. 16. *Reddet unicuique secundum opera sua*, cap. 25. *Venite benedicti possidere paratum vobis regnum*, esurivi enim, &c. Apostolus idem quoque versat celeberrimè, 1. ad Corinth. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum laborem suum*, cap. 15. *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino*, non enim iniustus est Deus, &c. 1. ad Timotheum 4. *Reposita est mihi corona iustitiae*: Hebræorum 10. *Nolite amittere confidentiam vestram quæ magnam apud Deum habet remunerationem*: 2. ad Corinthios 4. *Id quod est momentaneum, & leue nostra tribulationis æternam gloria pondus operatur in nobis*: Apocalypsis 22. *Ecce venio cito & merces mecum est reddere unicuique secundum opera sua*, alia suppetunt innumera testimonia ubi gloria vocatur corona, Non coronabitur nisi qui legitime certauerit, tene quod habes, & caute ne alius accipiat coronam tuam, imò appellat eam S. Petrus immarcescibilem gloriæ coronam, hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam. Dicitur brauium merces & cætera ubi dicimur esse digni Deo, & cælesti hæreditate.

Probatum secundò ex sanctis Patribus & Concilijs. Secundò, in eandem conspirant sententiam S. Patres ut fateatur etiam Caluinus lib. 3. institutionum cap. 15. §. 2. dabunt innumeros Bellarminus loco citato, c. 4. Valentia q. 2. p. 2. Valsques cap. 2. Suarez c. 1. v. g. Hieronymus in c. 49. Isaia, *Potentiam suam nostro arbitrio dereliquit, ut iuste voluntas præmium consequatur*. Augustinus epist. 105. *Cui debetur vita æterna vera iustitia est si autem vera iustitia est ex te non est*. Vide Doctores citatos. Eadem est Doctrina omnium Conciliorum v. g. sic habet Arausicanum 2. Canon. 18. *Debentur merces bonis operibus si fiant, sed gratia præcedit ut fiant*: Lateranense c. firmiter de summa Trinitate, Florentinum in litteris unionis: Tridentium sess. 6. cap. 16. Denique omnes Scripturæ, omnes Pontifices, omnes S. Patres hanc veritatem vbique asserunt & ab omnibus fidelibus credi volunt.

Probatum tertio. Tertiò rationes etiam non desunt optimæ quæ hoc probent.

Prima sit ex parte Dei qui totam gloriam attributorum suorum in hoc mirabiliter manifestat sapientiæ, quia inuenit mirabilem modum quo iustus simul esset misericors, adèò ut nec misericordia iustitiæ obesset, neque iustitia misericordiam impediret ut rectè notat Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 7. ubi explicat illud Psalm. 102. (qui coronatur in misericordia & miserationibus,) *Quia scilicet*

Tom. I.

ex eius miseratione bona operamur quibus coronam ex iustitia mereamur, & hinc iustitia simul ostenditur cum misericordia, liberalitas in eo quod supra condignum præmio rependit: potentia quod actionem tenuissimam miserrimæ creaturæ ad eam dignitatem euehit ut digna sit præmio æterno, providentia quod medium inuenit mirabile perducendi homines ad finem beatitudinis, acuendo illos ad opera virtutum, nec enim excogitari potuit aptius vllum medium, quàm proponendo æternitatis coronam pro minimo actu bono. Accedit etiam altera ratio ex parte operis meritorij, quia omnis actio libera & laudabilis meretur præmium & laudè ab eo in cuius honorem dirigitur, præsertim si gubernator ille sit diues & munificus in omnes qui honorant eum.

Tertia ratio ex parte ipsius hominis, quia sicut res naturales per proprios motus & operationes assequuntur omnes id ad quod à Deo sunt ordinatæ: similiter homo per suos actus assequi debet finem supernaturalem ad quem à Deo est ordinatus: sed dissimili modo, quia enim creatura irrationalis agit sine libertate opera eius rationem non habent meriti: opera verò creaturæ liberæ meritoria sunt, & digna præmio ac laudè.

Dicendum secundò est, bona opera hominis iusti mereri mercedem æternæ vitæ non ex sola liberalitate Dei, nec ex aliqua tantum congruitate, sed mereri eam ex se ipsis, & omnino condignè, tanquam aliquid illis omnino debitum & æquale.

Prima pars, quod ratio meriti non sit aliqua tantum Dei liberalitas, sed intrinseca bonitas ipsius actus certa est contra omnes sectarios, quia ex allatis scripturis constat vitam æternam tribui bonis operibus ut mercedem, ut coronam, ut stipendium, ut brauium, sed illa non dantur ex mera liberalitate, merces enim differt à donò liberaliter collato, corona & brauium dantur post pugnam & certamen legitimum ergo bona opera non ex sola liberalitate, sed ex intrinseca bonitate & valore merentur æternam vitam. Deinde sicut se habet æterna damnatio respectu malorum operum, sic æterna vita respectu operum bonorum ut deserit asserit Augustinus epist. 105. *Sicut merito peccati sicut stipendium redditur mors, ita merito iustitiæ, tanquam stipendium, vita æterna*: sed damnatio non fit ex sola Dei voluntate, sed ex operum demerito, ergo & salus datur ex verito mero bonorum actuum.

Secunda pars, de condignitate meriti communis est inter Catholicos, quibus tamen repugnare videntur Valdensis, Burgenfis, Durandus.

Primò autem colligitur ex citatis testimonijs scripturarum ubi dicuntur opera esse Deo ipso digna, id est præmio æterno quod Deus iuxta illud Geneseos 17. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*, itaque dicitur Sapientiæ 7. *Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se*. 2. Thessaloniensium 1. *Ut digni habeamini in regno Dei*: Colossensium 1. *Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum*: Hebræorum 13. *Beneficentia & communionis nolite obliuisci talibus enim hostijs promeretur Deus*. Huc etiam pertinent omnes illæ scripturæ ubi æterna salus, merces, corona, stipendium: nam illa omnia condignitatem dicunt & æqualitatem. Dicitur enim stipendium (inquit August. epist. 105.) *quia debetur, quia dignè retribuitur, quia merito redditur*.

Secundò à priori ratio petitur ex triplici principio illorum actuum qui sunt meritorij.

Primus est gratia inhabitationis per quam homo operatur ut filius Dei adoptiuus & ut naturæ particeps iurò prout inhabitantè & informantem habet Spiritum

Sanctum

Afferio secunda.

Prima pars.

Secunda pars.

Probatum secundò à priori.

Sanctum cuius illa sunt opera tunc effectiue tunc formaliter aut quasi formaliter.

Secundum est Christus cuius membrum viuens est ille qui habet gratiam, & totum influxum participans.

Tertium gratia ipsa operans & cooperans quæ instrumentum est & veluti manus Spiritus Sancti excitantis ad bonum: ex eo triplici principio tanta existit dignitas operis de se imperfectissimi, vt pretium habeat æquale præmio æterno.

Solutio
primæ du-
bitationis.

Ad primam Respon. nihil ex ijs locis aliud inferri nisi quod merita omnia nostra ita pendent à gratia quæ datur omnino gratis, vt sine illa nihil omnino possimus mereri, sic enim vita æterna dicitur ab Apostolo esse gratia Dei, quia gratia est à qua primum penderet, & sine qua nunquā illam mereremur vt recte annotat August. epist. 105. *Vita æterna iustitia quidem stipendium sed tibi gratia est, & ipsa iustitia.* Sic etiam dicitur Deus coronare nos in misericordia & misericordionibus, quia vt dixi supra ex Augustino, cum coronat merita nostra coronat dona sua quæ non nisi misericorditer confert. Fateor vitam æternam electis dari vt hæreditatem, sed ita tamen vt si adulti sint habeant eam etiam vt mercedem, vnde vocatur etiam ab Apostolo retributio hæreditatis: cum enim adoptiui duntaxat filij simus, ea conditione admittimur ad hæreditatem, quod mereamur eam etiam vt mercedem. Dicimur inutiles serui etiam postquam omnia fecimus quæ præcepta sunt nobis, quia Deus ex obsequio nostrorum operum non colligit vllam vtilitatem: vel etiam quia opera illa non nostris sunt viribus, sed ex auxilio gratiæ operamur. Cum negat Apostolus condignas esse passionibus huius temporis ad futuram gloriam: exaggerat tantum magnitudinem & æternitatem gloriæ, negatque vllam esse proportionem tribulationum quas in hac vita toleramus, cum cumulo bonorum quæ nos manent in altera vita, si passionibus illæ spectentur in se ipsis quoad magnitudinem & durationem, si autem spectentur secundum dignitatem quam à Spiritu Sancto informant, mouente, operante, & à Christo influente ac suorum meritorum vim conferente certe perfectam habent æqualitatem. Quando inuitamur ad emendum absque vlllo pretio & commutatione mel & lac, intelligi debet de prima gratia quam accipimus semper sine vlllo præmio merito. Vnde nec vllus confidere potest in suis meritis quæ omnino pendent ab eo qui factus nobis est iustitia & sanctificatio, & propitiatio & redemptio. Merita mortis eius sunt sufficientissima modò applicentur, non applicantur autem sine meritis nostris, quæ valorem ex illis habent.

Secundæ.

Ad secundam Respondeo eandem esse mentem sanctorum Patrum cum dicunt Deum coronare dona sua non merita nostra, & nostros actus esse insufficientes, nisi Dei misericordia præstò fuerit. Hoc enim vnum volunt quod sine gratia Dei nulla possint haberi merita, sic enim nulla sunt merita, quæ non etiam sint dona: vel etiam significant necessariam esse Dei acceptationem ad meritum quodlibet proprium vt patebit ex sequentibus.

Tertiæ
inferius.

Ad tertiam de rigore iustitiæ, & æqualitate operis cum præmio vt respondeatur videndum est quod propositum erat secundo loco.

SECTIO II.

Quid & quotuplex sit meritum operum bonorum.

Meritum
quid sit.

Certum est primò, meritum optimè definitur opus propter quod debetur homini à Deo alicuius

præmij retributio: est enim, vt dixi valor moralis ipsius operis propter quem operans laude dignus est & præmio, vel breuius dignitas laudis & præmij propterea quæ reuocatur (vt sæpè dixi) ad causam efficientem non ad causam finalem: non enim sufficit vt prius existat in intentione quàm effectus, sed re ipsa & in executione debet existere prius saltem in aliqua differentia temporis, non enim causat tanquam bonum propter quod obtinendum, aliquid fiat, sed tanquam aliquid iam positum per quod poni debeat aliud: opus ergo meritorium dicit respectum vt sic, ad præmium ad præmiantem, & ad operantem.

Certum est secundò, meritum vniuersim diuidi à Teologis in meritum condignum & meritum congruum. Meritum condignum aliqui definiunt id cui ex iustitia debitum est præmium: meritum congruum illud cui præmium debetur ex aliqua tantum congruitate. Fallitur enim Soto asserens contra communem sententiam nullum esse meritum quod non sit condignum: Contritio enim peccatoris aliquod habet meritum, quia illi iustificatio infallibiliter debetur, neque datur omnino gratis, & tamen non habet condignitatem, sed solum congruitatem, sicut enim est imperfectum meritum, ita ius tribuit duntaxat imperfectum ad speratam mercedem, debetur videlicet merito congruo solum imperfectè propter bonitatem aliquam operis, & promissionem diuinam.

Difficultas igitur tota est de propria ratione in qua differunt meritum perfectum seu condignum, & meritum imperfectum seu congruum. Primò enim dici potest quod differant in eo quod merito condigno præmium debeatur ex iustitia rigorosa, non autem merito congruo. Secundò quod meritum condignum excludat omnem acceptationem gratuitam Dei: meritum autem congruum in ea solum fundetur. Tertiò ratione solius æqualitatis cum præmio, quam habeat meritum condignum, meritum autem congruum illam non habeat. Quæ tria paucis inquirere placeat.

S. I.

Utrum de ratione meriti condigni sit debitum iustitiæ rigorosæ.

Debitum rigorosæ iustitiæ appellatur illud cui res aliqua ita est debita, vt vera fiat iniuria creditori si non reddatur: Huiusmodi iustitiam non posse reperiri Deum inter & homines plenè alibi disputatum est propter summum Dei dominium in omnia iura quæ creaturis possunt conuenire, adeò vt de illis disponere possit Deus prout voluerit, quin vnquam vlla creatura iniuriam pati possit: nemo enim alteri facit iniuriam cum disponit de re sua. Hoc ergo supposito nunc queritur, vtum merita nostra condigna esse nequeant eo nomine, quia rigorosæ huius iustitiæ debitum non possint includere.

Ratio verò dubitandi est primò, quia illud omnè quod ex iustitia non datur, dari necessariò debet ex misericordia, sed quod datur ex misericordia non datur ex merito condigno, condignitas enim meriti excludit misericordiam, ergo quod non debetur ex iustitia non datur ex merito condigno: ergo vt meritum aliquod sit condignum debet includere debitum iustitiæ.

Secundò, illud meritum includit ius proprium iustitiæ in quo præmium est æquale pretio, si enim pro aliqua domo æstimata mille aureis, exhibeas pretium mille aureorum, emptionem facies ex vera iustitia: sed opus filij Dei adoptiui prout dignificatū ex inhabitante Spiritu per gratiam, & ex Christo influente per merita propria, habet æqualitatem cum æterna mercede, ergo illa merces æterna ex iustitia debetur.

Tertiò;

De Merito vt est effectus Gratia Christi. 509

Tertia.

Tertio, dicitur in Scripturis sapientissime quod ex iustitia primum operanti rependitur, *Non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri & laboris: reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus Iustus Iudex*, & probatur quia princeps debet omnino militi strenuo coronam quam promissit cum pacto aliquo oneroso, neque dicitur gratis dare hanc coronam quam pro certo debet: Deus promissit coronam certantibus & fidem seruantibus, ergo debet illam ex vera iustitia.

Affertio 1. probatur.

Dicendum tamen est primo, veram illam & rigorosam iustitiam nullo modo esse necessariam vt debeat homini iusto merces aeterna ex merito condigno, sed sufficere illam iustitiam minus rigorosam & magis late sumptam, quae sola intercedere potest inter Deum & homines. Ita docent omnes qui cum Vasque negant iustitiam propriam esse posse vel Dei ad homines propter negationem debiti perfecti, vel hominis ad Deum propter inadaequationem debiti, quia scilicet Deus nihil stricte debet, & creatura debet nimis stricte. Contrarium autem docent Suares & omnes illi qui pugnant pro rigorosa iustitia Dei ad homines.

Ratio vero est, quia ratio meriti etiam condigni est proprietas humanae actionis studiosae cui debetur aliquod primum propter aequalitatem eius cum premio, sed ad illam aequalitatem & debitum sufficere possunt fidelitas & gratitudo, & iustitia minus propria, ergo ad meritum condignum non requiritur iustitia perfecta. Probat minor, quia est aliquod discrimen inter pretium & primum, vt patet, dicitur enim pretium equi venditi, domus locatae, laboris in vinea: primum autem appellatur dignitas laudis & honoris, sed non differunt nisi quod pretium dicat rigorem iustitiae, primum autem illam non dicat, ergo ad rationem meriti non requiritur debitum perfectae iustitiae. Deinde proba sufficere posse illam aequalitatem sine debito iustitiae, si enim creditor possit aliis titulis exigere rem illam propter quam debet primum, non rependet primum ex iustitia, & tamen esse tunc poterit meritum condignum, ergo ad huiusmodi meritum non exigitur perfecta iustitia, sed sufficit fidelitas ex parte creditoris, & aequalitas operis meritorij.

Solutio prima obiectionis.

Ad primam negatur illa maior, quidquid non recipitur ex iustitia recipitur ex misericordia, potest enim recipi ex fidelitate vel etiam ex iustitia quadam minus rigorosa. Quidquid retribuitur ex merito, non retribuitur ex misericordia pura si pactum interuenerit, sed retribuitur ex sola illa iustitia late sumpta quae sola in Deo est respectu creaturae.

Secunda.

Ad secundam Respondeo, falsam esse illam maiorem, illud meritum includit debitum iustitiae in quo pretium est aequale mercedi, aequalitas enim esse potest, & tamen non erit rigor iustitiae vt ostendi, quia si Deus possit aliunde illud opus exigere quod est aequale premio, poterit Deus sine iniustitia negare primum, etiam posita aequalitate, Deus autem donat etiam ipsa merita, & multis aliis titulis illa potest exigere, igitur posita aequalitate non necessario sequitur iustitia rigorosa.

Tertia.

Ad tertiam Respondeo Scripturam loqui de iustitia illa minus rigorosa, & tamen maiorem arguente perfectionem in Deo, sic enim vocat illum iustum iudicem appellat coronam iustitiae, negat ita iniustum esse Deum vt obliuiscatur operum nostrorum, sed non loqui vnquam de illa stricta iustitia quae in Deo summam argueret imperfectionem, iniuriam enim facere non potest ille qui Dominus est omnium iurium sui mancipij. Verum est quod ille princeps qui coronam promissit debet illam non solum ex fide-

litate, sed etiam ex iustitia, quia non est Dominus omnium iurium strenui huius militis: hoc autem vt vides locum in Deo non habet, qui si negaret primum faceret infideliter, sed non faceret iniuste, quia non faceret iniuriam. Sed haec alias fusiùs, & accuratius.

S. II.

Virum de ratione meriti condigni sit vt excludat acceptationem liberalem, & pactum Dei.

Vide tripliciter diuinos esse Doctores in hac controuersia quam celeberrimam fecit multorum contentio: Primo, censet Scotus totam rationem meriti pendere à sola Dei acceptatione ac promissione, ita vt ea seclusa nullus in opere sit valor, & proportio cum premio aeterno, totum enim hoc oriri à liberali promissione Dei. Secundo, censet ex opposito Vasques disp. 214. nullam promissionem Dei aut acceptationem exigi ad perfectum meritum, sed opera nostra ob dignitatem gratiae ex se ipsis esse meritoria, etiam si nulla esset Dei promissio aut etiam Christi merita. Tertio, mediam sequuntur sententiam Suares & Bellarminus, volunt enim nostra quidem opera ex se ipsis ante omnem promissionem esse proportionata premio, sed non esse tamen meritoria sublato Dei pacto & promissione; volunt enim requiri ad meritum condignum & dignitatem operis & promissionem Dei, per quae duo constituatur formaliter opus meritorium.

Doctores sententiae.

Ratio vero dubitandi est primo, quia si ad meritum condignum requiritur promissio, sequitur neminem iustum mereri posse nisi ei promissio aeternae vitae cognita fuerit, nunquam enim ex promissione oritur ius iustitiae nisi quando cognita est acceptata promissio ab eo cui est facta: sed vt primum reddatur ex merito condigno non requiritur cognitio promissionis, ergo ad constitutionem meriti condigni nulla requiritur promissio Dei. Deinde sequeretur merita Christi non fuisse infinita, quia illa non fuerunt merita nisi secundum mensuram acceptationis, sed non sunt à Deo acceptata nisi ad primum finitum, ergo non fuerunt nisi finita. Denique merita Christi pro antiquis Patribus non sunt à Deo acceptata, neque à Christo applicata, vel enim acceptauit ea Deus per modum solutionis aut gratiarum actionis, & sic merita Christi non causant sed supponunt gratias illas iam datas, non illas causant: vel sunt applicata per modum orationis & sic oratio fiet ad Deum pro re praeterita quod absurdum est.

Ratio prima dubitandi.

Secundo, probatur à simili, nam quodlibet peccatum seclusa quacunque Dei comminatione meretur poenam sibi aequalem, ergo similiter opera iustorum merentur gloriam. Deinde si peccatum secluso pacto meretur poenam, Christi autem meritum eo secluso non meretur primum, sequitur, quod peccatum fuit potentius ad destruendum quam meritum Christi ad aedificandum. Deinde vt per laborem in alterius vinea impensum aliquis à domino vineae mereatur mercedem non requiritur pactio de tali mercede, sed sufficit vt vel ipse dominus vineae iubeat aut etiam approbet illum laborem, sic enim obligatus ex iustitia manet, & compellitur etiam à Iudice vt soluat pretium labori aequale, ergo similiter ad constituendum meritum sufficit praecipuum Dei, & operis approbatio non requiritur promissio primum.

Secunda.

Tertio, à priori probatur quia filio debetur hereditas si bene se gesserit quamuis nulla intercedat pactio, sed per gratiam homo filius constituitur, ergo

Tertia.

ei debetur hæreditas secluso pacto. Deinde gloria vocatur pignus hæreditatis, ideoque tantum valere debet quantum hæreditas ipsa valet. Denique opera filiorum Dei præsertim si dignificentur per merita filij Dei naturalis habent proportionem cum gloria, alioqui si Deus vellet quodlibet opus bonum redderetur de condigno meritorium quod absurdum est.

Afferrio
secundò.

Dico secundò, tamen si opera bona hominis iusti habeant antecedenter ad promissionem Dei quod veluti fundamentaliter & in actu primo æternæ vitæ sint meritoria, requiritur tamen Dei ordinatio & promissio ut sint formaliter & in actu secundò meritoria ita cum S. Thoma art. 1. communius Theologi censent Valentia quæst. 6. part. 4. Bellarminus, lib. 5. de iustificatione cap. 14. Suares lib. 12. cap. 17. & sequentibus.

Probatur
primò.

Ratio autem est quia potest opus bonum esse meritorium vel fundamentaliter, & in actu primo, vel formaliter & in actu secundo: fundamentaliter dicitur meritorium quatenus est æquale omnino & proportionatum præmio, adeò ut rationabiliter præmiari possit. Formaliter dicitur meritorium quatenus non solum est æquale præmio & præmiari potest, sed etiam debet præmiari; Deum enim obligat ut mercedem rependat. Primò, modo meritorium est bonum opus secluso pacto Dei, quia opera nostra ex se ipsis verè sunt meritoria, non quia Deus illa gratis acceptat, meritum enim vocatur id quod ex se ipso est dignum laude, liberalitas autem Dei & extrinseca promissio non reddit opus laude dignum, ergo seclusa Dei promissione opus est fundamentaliter meritorium. Quod autem secundo modo & formaliter non sit meritorium.

Opus bonum non mereri formaliter gloriam probatur.

Primò, colligitur ex Scripturis ubi gloria vocatur nomine promissionis, *Hæreditabunt promissiones, quas repromisit Deus diligentibus se: ex denario convenisti mecum redde illis mercedem.* Vnde argumentor, quantumcumque laboret operarius in alterius vinea nunquam debet illi dominus mercedem nisi tacite vel explicate acceptaverit illum laborem. Dico (tacite) quia si iubeat aut videat laborantem, certè acceptat laborem & mercedem debet quantum magis Deus qui supremus dominus est, & laborem nostrum aliis exigere potest titulis, nihil debere potest, nisi se ipsum obliget promittendo. Similiter nullus imperator stipendium debet militi nisi vocetur ad militiam & labor eius acceptetur.

Secundò, fauet apertè Tridentinum sess. 6. cap. 16. (ubi sic ait) *benè operantibus usque in finem proponenda est vita æterna & tanquam gratia filiis Dei misericorditer promissa, & tanquam merces bonis ipsorum operibus & meritis ex Dei promissione fideliter reddenda:* Vbi ponderari debet quod Dei promissio ponitur tanquam ratio propter quam redditur merces, ergo promissio illa constituit rationem meriti.

Tertiò, à posteriori probatur, quia si ad rationem meriti nulla exigatur promissio æquè dici poterunt in cælo mereri animæ beatæ, aut etiam animæ Purgatorij, nihil enim deesse videtur aliud quam Dei promissio & pactum, opera enim bona sunt, libera & præmio æqualia. Denique à priori ratio est, quia supremus dominus omnium qui habet mancipium & potest aliis titulis opera eius exigere, non tenetur pro illis operibus præmium rependere nisi se ipsum liberè obliget promittendo & ordinando talia opera ad præmium. Deus autem innumeris titulis ut sæpe dixi potest huiusmodi opera exigere, ergo si nihil promittat nihil unquam debet, *Debitor enim factus est, ut ait Augustinus, non aliquid accipiendo, sed aliquid promittendo.*

Solutio
primæ difficultatis.

Ad primam Respondeo verum quidem esse quod

ad debitum iustitiæ semper exigitur ut promissio approbata & acceptata fuerit ab eo cui fit promissio, sed nego illud esse necessarium ad debitum iustitiæ illius minus rigorosæ quæ fidelitas tantum est. Dixi autem meritum non esse debitum nisi fidelitatis. Fateor merita Christi fundamentaliter & in actu primo esse infinita, sed formaliter & in actu secundo esse tantum finita, quia Deus non proponit præmium illius nisi finitum: si enim secluso pacto Deus deberet præmium æquale, iniustus esset si rependeret inæquale. Merita Christi acceptata fuerunt pro meritis antiquorum Patrum eo modo quo sunt acceptata pro auxiliis illis datis siue illa fuerit solutio siue gratiarum actio, siue approbatio voluntatis Christi quod tertia parte disputatum est.

Ad secundam Respondeo magnam esse disparitatem in illis omnibus. Primò enim distinguo illud antecedens: peccata mortalia secluso quocunque pacto merentur pœnam æternam quasi fundamentaliter & in actu primo concedo: merentur pœnam æternam ita ut Deum obligent ad illam inferendam nego. Et in hoc disparitas est quia per peccata Deus non tenetur punire, per merita obligatur remunerare: unde patet peccata non fuisse potentiora quam Christi merita, peccata enim non obligant Deum, sicut illum obligant Christi merita. Quod additur de domino vineæ qui rusticum videt laborantem, fateor quod ille tenetur solvere præsertim si iusserit vel viderit laborantem, quia hoc est tacite cum illo pacisci, neque aliis titulis exigere potest illum laborem sicut illum exigere potest Deus.

Ad tertiam Respondeo quod filio adoptivo debetur hæreditas merito personæ, si nullum pactum intercesserit, sed non debetur merito operis cui ex aliqua iustitia hæreditas debeatur. Reliqua probant de merito fundamentaliter sumpto, non de merito sumpto formaliter & in actu secundo.

Quæri ulterius potest qualem valorem ex Christi meritis accipiant nostra merita, negant enim aliqui ullum valorem operum nostrorum pendere à Christi meritis: contrarium autem fuscè docet Suares: ego mediam viam tenendam puto. Primò, enim certum mihi videtur quod moralis valor nostrorum operum sumptus formaliter & in actu secundo plane pendet à Christi meritis, quia Deus non promittit operibus nostris præmium, nisi quatenus Christus hoc nobis meruit aliqui merita nostra remotè tantum penderent à Christo. Secundò, valor fundamentalis nostrorum operum non videtur pendere propriè vel augeri ex meritis Christi, non enim potest augeri nisi quatenus dignitas meritorum Christi vnum quodammodo facerent cum meritis nostris propter unionem quam habemus cum Christo capite, cuius decor in omnia redundat membra: sed hic est influxus formalis qui videtur non esse admittendus aliqui merita nostra essent infinite digna, solus autem influxus effectivus sufficit quatenus per merita Christi tribuit nobis Deus gratias actuales, & acceptat nostra opera etiam supra valorem quem habent.

§. III.

Utrum ad rationem meriti exigatur proportio & æqualitas operis cum præmio.

Dixi necessarium esse ad meritum condignum promissionem diuinam, nunc reliquum est ut dicatur, utrum præter eam exigatur etiam æqualitas operis cum præmio, an verò sola Dei promissio sufficiat ad efficiendum ut opus de se vile fiat meritorium de condigno, sic enim docent Conink disp. 8. de fide dubit. 3. Tannerus tom. 4. disp. 1. quæst. 1.

Ratio

De Merito vt est effectus Gratiae Christi. 511

Ratio prima dubitandi. Ratio verò dubitandi primò est, quia dicit Abraham Deus: *Ego protektor tuus, & merces tua magna nimis*: id est omni merito tuo maior, ergo non est æqualitas inter meritum & præmium seculæ promissionis, eo scilicet modo quo cursus æqualis non est ex se cum brauiò, sed accedente tamen promissione Principis dicitur illud mereri qui currit in stadio.

Secunda. Secundo, visio Dei est ex se infinita non solum extrinsecè ac obiectiue, sed etiam in duratione, nam illa est ex se æterna, vnde moraliter & secundum prudentiam æstimationem, est præmium infinitum, opus autem meritum, verbi gratiæ, elemosina vnus nummi omni ex parte finita est tum in duratione, tum in obiecto, tum in intensione, sed finiti ad infinitum nulla est proportio & æqualitas, ergo inter opus meritum & præmium nulla est æqualitas.

Tertia. Tertiò, sicut potest Princeps aureæ argenteæque pecuniæ valorem augere, inò rei quæ nullius est de se valoris, verbi gratiæ, corio valorem potest tribuere, ergo non videtur dubium quin Deus operi de se imperfectissimo valorem meritum possit adiungere sola Dei voluntas & destinatio ad præmium: ergo etiam si opus non sit æquale præmio, sola Dei acceptatio potest illud facere meritum.

Affectio tertia. Dico tertiò, requiri omnino ad meritum condignum vt opus meritum habeat omnimodam æqualitatem cum præmio æterno, neq; sufficere promissionem diuinam. Ita communius docent Theologi & per hanc præferim æqualitatem volunt distingui meritum condignum à merito congruo.

Probarur. Primò enim non potest homo iustus per opus meritum esse dignus Deo, & dignus gloria, non potest mereri mercedem & stipendium nisi per aliquod opus quod sit æquale præmio: sed in Scripturis dicitur quod homo iustus per sua opera dignus est gloria, meretur stipendium & mercedem, ergo necesse est vt opus meritum sit æquale præmio. Deinde certum est quod opera naturalia, quantumuis Deus illis gloriam promitteret non possunt esse meritoria de condigno æternæ vitæ, sed si non requiritur æqualitas operis & præmij modò ad sit promissio Dei, poterunt naturalia opera esse condignè meritoria præmij æterni ergo requiritur illa æqualitas. Imò si promissio sola facit meritum condignum, quantumuis opus sit inæquale contritio peccatoris erit meritoria de condigno, quia certum est promissam illi esse remissionem peccati. Denique nulla potest esse ratio cur ad meritum condignum exigatur gratia sanctificans euehens hominem ad dignitatem filij Dei adoptiui, nisi quia per illam opus hominis iusti dignificatur, & quodammodo Deificatur sicut enim persona Verbi vnita humanitati Christi & illam sanctificans confert eius actibus valorem infinitum, quia dignificat humanitatem & denominatur operans tales actus: sic cum quadam proportionem persona Spiritus Sancti, vnita, vt dixi, animæ iusti denominatur operans actus eius supernaturales, atque adeò illos euehit ad valorem æqualem præmio æterno.

Solutio primæ difficultatis. Ad primam Respondeo quod quando dicitur *Vita æterna merces magna nimis*, id est superans valorem operis debet intelligi superare valorem operis in se sumpti, nam actus quilibet hominis in se ipso consideratus certè nullius est momenti, & nullam cum præmio æterno habet proportionem: si autem sumatur opus illud in se viliissimum prout dignificatur ab inhabitante Dei spiritu, & prout denominat illum operantem etiam immanenter certè illud opus habet quandam infinitatem, aut saltem æqualitatem cum æterna mercede. Brauium promissum quod superat laudabilitatem operis debetur ad summum de congruo non debetur de condigno.

Ad secundam Respondeo Dei visionem esse præmium duntaxat finitum, quia per illam Deus infinitus non possidet nisi finitè. In duratione autem est infinita secundum quid cum sit æterna, opus hominis iusti dignificatur per gratiam & Spiritum Sanctum, vt dixi, habet infinitatem quandam saltem secundum quid ex dignitate Spiritus inhabitantis, & constituentis filium adoptiuum, nam hereditas ita debetur filio vt illa nunquam ei possit auferri, nisi per aliquod opus malum mereatur ea priuari.

Ad tertiam Respondeo magnum esse discrimen inter bonum vile cuiusmodi est moneta, & bonum honestum ac laudabile cuiusmodi est opus meritum. Fateor utilitatem alicuius boni posse augeri per voluntatem principis, in ordine ad finem aliquem extrinsecum cuiusmodi est moneta, quæ sine dubio est bonum vile vt emi possint quæ sunt necessaria: princeps videlicet augere potest valorem monetæ si velit vt pro tali moneta dentur res tanti valoris: nego autem posse augeri à Principe honestatem ac laudabilitatem alicuius operis, non enim facere potest etiam ipse Deus vt opus quod non est in se laudabile intrinsecè, sit intrinsecè laudabile. Valor autem meritorius est honestas & laudabilitas intrinseca operis, quam augere nullo modo potest extrinseca Dei promissio.

QVÆSTIO II.

De subiecto meriti, seu de operibus meritoriis.

Dixi existentiam, quidditatem, & diuisionem meriti, vnde constat opera nostra esse verè ac propriè meritoria vel condignè vel congruè. Nunc præcipua difficultas est quænam conditiones exigantur in opere bono vt condignè meritorium sit vitæ æternæ: illæ autem conditiones possunt se tenere primò ex parte Dei, & illa, vt dixi, sola promissio est, non autem debitum vllum strictæ iustitiæ. Secundo tenere se possunt ex parte operis meritorij. Tertiò, ex parte personæ merentis: primum illud caput iam dictum est, duo posteriora huius loci propria sunt.

SECTIO I.

Conditiones ex parte ipsius operis requisitæ vt illud sit meritorium.

Ad actum de condigno meritorium requiruntur sine dubio aliquæ conditiones quorum vna si defuerit tollitur condignitas meriti, & æqualitas eius ac proportio tota cum præmio. Possunt autem quatuor excogitari conditiones ad condignitatem meriti requisitæ in ipso actu. Prima vt sit actus positius non autem pura omissio. Secunda vt sit moraliter honestus. Tertia vt sit supernaturalis. Quarta vt sit ex influxu charitatis.

§. I.

Utrum requiratur ad meritum actus positius, & moraliter bonus, an verò sufficiat pura omissio.

Ratio dubitandi est primò, quia pura omissio actus mali est meritoria si esse potest libera & procedere ex motiuo verè honesto, sed esse potest libera & procedere ex motiuo sicut in superioribus sæpè probatum est, si enim omittam peccatum aliquod tunc quando cognosco illam omisionem esse honestam, illa omissio pendet à motiuo honesto & est libera, ergo illa omissio est meritoria.

Prima ratio dubitandi.

Secundò,